

DISPUTATIO ETHICA  
De  
**FORTITU-**  
**DINE,**

*Quam*  
*Divini Numinis auspicio In Illustri*  
*Academia VVittebergensi*  
SUB PRÆSIDIO

*Viri clarissimi atque Præximii*  
**DN.M. JOHANNIS MICHAELIS**  
**STRAUSSII,**

Colleg. Philosoph. Adjuncti meritissimi, Præce-  
ptoris, Fautoris & Amici sui ætatim colendi  
ac devenerandi

*Eruditorum examini atque censura*  
*subjicit*

**DANIEL SCHÆFFER / Dresd. Misn.**

Autor & Respondens.

*Ad diem XXVIII. Maij, In Auditorio*  
*Majori.*



Literis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLEGELII,

ANNO M.DC. LIX.

~~13~~

a. CXVIII. 17.

3.

Coll. diss. A  
18, 17



# VIRIS

*Nobilissimis, Magnifico, Consultissimis ac  
Prudentissimis*

**DN. VALENTINO Scheffern /**  
Sen. Reip. Dreldens. Inclytæ Consuli gravissi-  
mo, meritissimo.

**DN. CHRISTIANO Reichbrodt /**  
â Schreckendorff in Klingenberg & Pesterwitz To-  
parchæ, Serenissimi Electoris Saxonix Consiliario,  
itemq; ditionis Dippoldis Waldensis, Alten-  
bergensis & Torantensis Præfecto  
summo.

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

**DN. PHILIPPO Büttner /**  
Serenissimæ Viduæ Electorali â Secretis  
& ararii Præfecto.

**DN. CHRISTIANO Brehmen /**  
Sereniss. Saxon. Electoral. â misterio Secretiori  
ut & Reipubl. Dreld. Consuli gra-  
vissimo.

**DN. ANDREÆ Beckern /**  
Sereniss. Saxon. Elect. Quæstori Stolpensi  
meritissimo.



DN. CHRISTIANO Zschimmern/  
Sereniss. Saxon. Elect. Quæstori in Mo-  
ritzburgæ dignissimo.

Dominis Patronis, Parenti,  
Promotoribus & Affi-  
nibus perpetuo co-  
lendis.



Vi ædificium aliquod exstruc-  
re cupit, ante omnia de funda-  
mento sollicitus sit necesse est.  
Etenim nisi Fundamentum je-  
ceris ritè, quæ superstruxeris,  
non minabuntur ruinam mo-  
do, sed tandem at penitus corruent. Perinde  
cum artibus ac disciplinis comparatum est; &  
primò Philosophica fundamenti quasi locò  
substernenda sunt; deinceps superiorum facul-  
tatum scientiæ in animum induendæ. Hinc &  
circa Jurisprudentiam & circa alias artes pecca-  
ri quotidie videas, in quas multi parum instru-  
ctis & præparatis animis irruunt, & sic profa-  
nant ac polluunt. Nam qui deserit ordinem, &  
majora viribus citius affectant, neq; perficiunt  
ali-



aliquid, & totam studiorum rationem ever-  
tunt. Hæc dum mecum reputavi, ex re maximè  
fore æstimavi, nec studio meo prorsus alie-  
num, si pridus peccus doctrinis Philolophicis,  
& cum primis iis, quæ ad rationem prudenter  
instituendæ vitæ ac gubernandæ Reipublicæ  
maximè pertinent, implerem, antequam ani-  
mum ad Jurisprudentiæ studium applicarem.  
His cum invigilaverim hætenus, ingenii vires  
exploraturus Disputationem hanc Ethicam  
exarare volui. Vobis autem, Patroni Maximi,  
& Sanctis nominibus Vestris hoc exercitium  
Academicum ut consecrarem, debita observã-  
tia, quâ Vobis obstrictus perpetuò sum, impe-  
rabat. Quippe subsidiis ac beneficiis Vestris fa-  
ctum est, quod hætenus in studiis profecerim.  
Quæ omnia prolixè & copiosè exponere, in  
præsentî nō valeo. Interim hisce vobis debitas  
referre gratias debui. Quod serena ac hilari  
fronte, si pro insito animis in literas amore, ac-  
cipiatis, debito quodam me extolvisse credam.  
Atq; si studia mea ulterius promovere digne-  
mini, quod obnixè peto, efficietis, ut, quicquid  
imposterum ad frugem bonam profecero, id  
omne Vobis, ut & me totū, debeam. Deum ve-  
neror, ut Vos, Promotores Venerandi in mul-  
tos annos servare ac conservare velit.

Daniel Scheffer.





## Jova Juva!

### Præambulum.

**N**obilissimam de Fortitudine materiam tractaturus, magnò verborum tumore ejusdem excellentiam, utilitatem ac necessitatem describere supervacaneum esse arbitror, quippe aliàs tot de eadem dissertationes, ipsiq̃ encomia ac laudes satis superque indigitantes, luci fuerint expositæ. Confirmant insuper non minori applausu atque vigore plurima exēpla, quæ crebrò fortitudinis exercitiò præ aliis inclaruere; eaq̃, partim sacra, partim profana nobis legenda offert pagina. Quapropter non abs re facturum existimavi, si in eâ explicandâ industrie aliquantum atque ingenii nervos intenderem, in ejus naturam diligentiori operâ inquirens. Ut autem viâ non ambulem sinistrâ, sed Scopum pertingam optatum, DEUM, ut omnium virtutum, ita & hujus, autorem supplex imploro, ut hujus laboris benedictionem & incrementum ex altò clementer largiatur! Divinò Numine exoratò ita rem instituere animus est, ut præmissâ prius notatione, quænam deinceps potissima sit Fortitudinis definitio, quodnam sit ejus objectum, quis item finis, qui actus fortitudinis existant, & quæ requisita necessaria huc pertineant, uberius paulò proponam.

### THESIS.

1. Dicitur autem hæc virtus Græcis ἀνδρεία, five ἀνδρεία, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, à viro, factâ nimirum denominatione à potiori quia

A

quia



quia maximè est virò digna, eique peculiare quoddam conciliat ornamentum ac eminentissimum honorem. Hinc rectè Tullianum illud eloquentiæ decus l. 2. *Tusc. quest.* A virò, ait, virtus est appellata, viri autem propria maxime est Fortitudo, cuius munera duo maxima sunt: mortis dolorisq; contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius si viri esse volumus, quoniam à Viris virtus nomen est sortita. Latini derivare solent Fortitudinem à ferendò, nempe quod fortis animus res adversas & secundas ferat & sustineat. Aliis lubet derivatio à fors fortè, quia eventui fortuito res suas fortis committit, maximè verò in bellò, ubi anceps fortuna incertique pugnarum exitus.

2. Cum autem latè admodum pateat vox Fortitudinis, variasque apud autores recipiat significationes, hinc necesse omnino erit, ut, antequàm ad cætera explicanda progredior, ab æquivocatione nomen liberem. Usurpatur autem Fortitudinis vox primò pro robore corporis, quò quis corporis viribus alterum excedit & superat. Cujusmodi robore corporis Milo Crotoniates, Titormus bubulcus, & Polydames *Scotusfens*, ad miraculum usque præstiterunt; Quorum ille bovem vivū per stadium gestare poterat, & multa alia robustatis specimina edebat, ut apud *Plin. l. 7. c. 28. & l. 10. c. 7. & Herod. l. 3. Gell. l. 15. c. 16.* legere est; Iste lapidem in humeros sustulit, & per orgyas octo portavit, quem Milo vix loco movere poterat, & alia præstabat, ita ut Milo exclamaret: O Jupiter, num hunc alterum nobis Herculem dedisti! teste *Ælian. l. 12. variar. Histor.* hic verò leonem, in monte Olympo sibi obvium, nullo armatus telo conficiebat, & alia plura perpetrabat, uti refert *Zuvvinger. in Theatrof. 256.* Quo in sensu quoque Leo & Tigris & alia bruta animantia fortia vulgò dicuntur. Sic *Virgil l. 2. Georg. Tauros fortes dicit.* Accipitur secundo vox Fortitudinis pro tolerantia & continentia. *Vid. Picol. gr. 4. c. 27.* quorsum illud Poetæ spectat:

*Fortior est qui se quam qui fortissima vincit  
Mœnia, nec virtus altius ire potest.*

Unde generaliter quoque κατ' ἐξοχήν Virtus dicitur:  
Hinc *Virgil. l. 12. Æneid.*

Disce



*Disce puer Virtutem ex me verumq; laborem.*

*Tertio* accipitur pro quovis periculorum contemptu, & tunc sapissimè cum audacia confunditur, quod *Aristotel.* innuit *l. 3. Nicom. cap. 7.* *Qui autem confidendo in rebus terribilibus excellit, audax est.* Atq; etiam arrogans audax esse videtur & affectator Fortitudinis. *Quarto* pro Spirituali Fortitudine, seu Theologicâ, quâ quis divino impulsu agitated terribilissima quæque intrepido sustinet animo, quò referunt *Mosen*, qui contra *Pharaonem*, *Eliam*, contra *Achabum*, *Johannem* contra *Herodem*, *Martyres* contra Tyrannos, & ipsum quoque *Megalandrum* nostrum *Lutherum*, qui veritatem cœlestis doctrinæ propugnauerunt & in sustinendis adversis animosè se gesserunt. Sed divinum hoc robur quo altius *Ethicam* nostram transcendit, eò magis tractationem nostram fugit. *Tandem* accipitur propriè pro habitu, sive virtute eâ, secundû quam circa metum & fiduciam rectè nos gerimus; quomodo eam *Philos. l. 2. Ethic. c. 7. l. 3. c. 7. l. 3. Eudem c. 1.* accipit. Quæ acceptio quum nostro instituto apprimè inferviat, eam in præsentem amplectimur, & omisis ulterioribus ambagibus statim *Fortitudinem* definimus, quod sit *Virtus moralis circa terribilia & fiduciaria occupata.*

3. Definitur per Virtutem moralem, quia est habitus electivus in medietate quoad nos constitutus; Et determinatur à rectâ ratione, prout vir prudens eam determinaret, ut *Philos.* eam describit *l. 2. Ethic. ad Nic. c. 6.* Ubi videmus, quod ab hâc virtute excludantur pueri, quibus, quamvis semina virtutum ingenita insint, tamen crebrum exercitium ex plenario rationis usu profectum ipsis jure tribui nequit. Quapropter adultis saltem competere patet. Denegamus etiam brutis hunc habitum, quippe ratione destituta non nisi ex naturæ impetu agunt: Et quamvis nonnunquam in Leone, Camelo, aliisque appareat animositas, illa tamen magis ferocia quàm Fortitudo appellanda est. Neque fortes dicuntur ii, qui solum Imperatorum stipendiis alleciti, aut prædæ cupiditate stimulatî masculè adoriuntur homines, & omnibus periculis caput objiciunt. Nam hos *Aristot. l. 3. Eth. c. II.*



pugnaces non fortes appellat. Sibi enim saltem, neglecto publico bono, militant & metiuntur. De quibus infra, ubi de Fortitudine apparenti agemus.

4. Differt hæc Virtus ab aliis Virtutibus objecto, quod hinc differentiæ locò in definitione ponitur, & duplex est: *internum & externum*. Illud sunt affectus hominis interni, metus videlicet & fiducia, quos animi motus, si à rebus externis excitantur vehementius, Virtus reprimere debet. Huc pertinet illud :

Fortior est qui se quam qui fortissima vincit  
Mœnia, nec Virtus altiùs ire potest.

*Objectum externum* sunt res ipsæ, quæ metum ac fiduciam afferre possunt. Et hoc iterum dividitur in *primarium & secundarium*.

5. Sub primario comprehenduntur τὰ Φοβερά hoc est, terribilia, seu formidabilia, juxta *Aristot. 3. Eth. c. 9*. Nomine autem τῶν Φοβεῶν omnia mala subjectum destruentia intelliguntur. Ut enim bonum appetitu naturali appetimus: ita malum metuemus & averfamur, juxta *Arist. l. 3. Nic. c. 6*. Timeamus autem omnia mala, utpote infamiam, paupertatem, morbum, amicorum penuriam, mortem atque alia. Quædam tamen mala ita sunt comparata, ut quamvis non temerè habenda, tamen qui ea non timet, non peccat: ut sunt scelera, carceres & supplicia, & hujus generis alia, in quibus subeundis nemo fortis vocatur, & si hæc timeat, nentiquam à virtute aberrat. Quare metui vel non metui possunt citra reprehensionem. Hic tamen notandum, quod modò dicta mala possint metui si scilicet nostra culpâ contingant; ut si quis ob delictum in carcerem conjiciatur, propter intemperantiam in morbum incidat, vel propter luxum in paupertatem redigatur. Contrà verò ubi nostra nulla adest culpa, non opus est metu. Si quis præter meritum cum Aristide in exilium pulsatur, vel cum Anaxagora in carcerem conjiciatur, vel cum Phocione damnetur. Cæterùm dantur quoque mala, ut calamitas patriæ, amissio religionis, infamia, quæ tam à viro for-



forti quàm ab omnibus metui debent. Qui enim secus agit, non pro honesto, sed improbo reputandus est.

6. Si ulterius terribilia mala sub rationis incudem sumimus, deprehendimus, alia esse *supra hominem*, alia *secundum hominem*. Illa dicuntur, quæ longè altiora sunt, quàm ut ab homine & quidem sanâ mente præditò tolerari & sustineri queant: ut sunt terræ motus, tonitrua, grandines, fulgura, aquarum inundationes, & ea, quæ præsentissimam Dei iram denunciare solent. Quæ sicuti cuivis homini sanâ mente prædito, ita etiam forti Viro terrorem incutiunt. Unde si ea timet, timidus non dicitur; qui verò hæc non metuit, mentis non compos impius atque *αἴθετος* est, juxta *Philosophum*, qui talem dicit Furentem *l. 1. m. m. c. 21. Conf. Burgersdic. Idea Phil. moral. c. 14. n. 10.* Tales olim fuerunt Celtæ, quos ipse *Philos. 3 c. 1. Eudem & Ælian. l. 12. c. 23.* refert, instructâ acie maris exundantis æstum reprimere voluisse. Et Pſylli Lybiæ inferioris populi, de quibus *Herod. l. 4* quod contra Austrum, ut ventum infestum, armatâ manu pugnare in animum induxerint, & dehinc tamen arenâ obrui stultitiæ reportarint mercedem. Sic quoque de Xerxe, Persarum Rege, historiæ testantur, quod Hellepontum cædi flagris & mari ipsi compedes injici jussit ut *Herod. l. 9.* qui idem *l. 1. de Cannis* refert, eos armatos aërem hastis pulsasse, dicentes, se ejicere Deos peregrinos.

7. *Formidabilia* verò *secundum hominem* ea dicuntur, quæ à cordatis hominibus, ut cætera malorum genera, sustineri possunt; Suntque vel *majora*, quæ magis hominem afficiunt, & vehementiori horrore eundem invadunt ac perterrefaciunt; Sic infamiam magis timet homo, quam morbum, sive paupertatem: vel *minora*, quæ minus eum invadunt. Sic viduitate, invidia & obrectatione & jactura bonorum vir fortis non adeò concutitur. *Vid Arist. l. 3. Eth. c. 6.*

8. Ad *objectum secundarium* omnia illa, quæ confidentiam homini afferre possunt, eumque animosum in adversis reddere valent, referuntur. Vocatur autem ex hac ratione *secundarium*, quia fortitudo magis circa ea, quæ metum pariunt, quàm quæ confidentiam gignunt, versatur. Etenim cum



terribilia maximè percellant hominis animum ac perturbent; ea autem, quæ fiducialia sunt roborent, unde magis in terribilibus vis fortitudinis elucescit. Sic maximè illum dicamus fortem, quem strenuè rem gerere videmus in oblatiis formidabilibus. Et præterea longè difficilius est tolerare ea, quæ terrorem homini inferunt, quàm ea, quæ fiduciam afferunt; ut ipse *Phil. l. 3. Eth. Nicom. c. 9.* existimat. *Conf. B. 7. Martin. l. 2. Synop. Eth. c. 6. p. 190.* Illa quibus confidimus, iterùm vel turpia vel non turpia sunt, Ad priorem classem referuntur ii, qui artibus magicis se reddunt invulnerabiles, ne ullum ex ictu pugionum, gladiatorum, hastarum, & bombardarum dolorem in corpore sentiant, vel vulnerari in bello possint. Illi autem homines impiissimi optimò jure haberi possunt; id quod sequentes rationes evincunt. *Primo* Quia viri fortis est pericula & dolores moderate ferre. Qui autem membris stuporem arte Diabolica inducunt, ne sentiant dolorem ii dolores moderatè ferre detrectant. *Secundo*, Verba & media, quibus stupor iste inducitur, aut sunt *Divina*, aut *Diabolica*. Naturalia enim non esse, certum est. Si *divina* sunt verba, tunc peccatur contra secundum præceptum, de non assumendo nomine DEI in vanum: Si *Diabolica*, tunc robur & vim istam habebunt à Diabolo; quam tamen à Deo habere debebant. *Tertiò*: Homines isti repugnant Deo, naturæ, virtuti, & propriæ salutis, tam temporali quam æternæ. Exinde tale fluit argumentum: *Quicumque talia media adhibent, quæ DEO, naturæ, virtuti & propriæ salutis repugnant, illi neque fortium virorum neque bonorum titulo sunt habendi. At qui magicâ arte consolidaverunt corpus, hoc faciunt. Ergò qui magicâ arte consolidaverunt corpus neque fortium virorum, neque bonorum titulo sunt habendi.*

9. Quæ nullam turpitudinem olent, sunt munitiones, arma, militum copiæ. Et in hæc fiduciam suam collocare potest Vir Fortis, ita tamen ne abducatur in audaciam. Sunt autem hæc vel *supra hominem*, vel *secundum hominem*. *Supra hominem* sunt auxilia divina, quæ confidentiam magnam suggerunt, & infallibilem ferè liberationis spem faciunt. Hæc iterum vel *extraordinaria* & *singularia* plane sunt, ut

ut



ut in populo Israëlitico contra Ægyptios, in Josiâ contra Jerichuntos, in Davide contra Goliathum; vel *ordinaria* & quotidiana, quæ piis in periculis constitutis, animos atque spem victoriæ addunt. *Secundum hominem* sunt auxilia humana, quæ vel à fœderatis, vel vicinis expectare possumus, qui nobis succurrunt exercitu instructo, pecuniæ numero, nervo rerum gerendarum, quibus maxime confidendum est. Et circa hæc potissimum versatur Fortitudo.

10. Jam ad *speciale* Fortitudinis *objectum*, quod in maximo omniumque humanorum terribilissimo, morte scilicet consistit; quâ cum nihil sit horribilius & terribilius, quam & ipse *Arist.* Ποσειδων Ποσειδοτατων dixit, ac Fortitudo circa maxima terribilia versetur, nemini non ultro apparet, mortem esse specialissimum objectum. Teste *Aristotele* l. 3. *Nic. c. 6.* his verbis: *Ille autem propriè vir Fortis dicitur, qui circa præclaram mortem impavidus fuit, & circa ea, quæ mortem afferunt.* Non omnis tamen mors huc referenda est, utpote quæ ex morbo, ex naufragio, vel incendio, provenit. Quamvis enim quis his modis vitam amittat, fortitudinis tamen neque honestæ neque splendidæ obiit munus. Nam de nullis præclare meritus est. Nec illa mors huc quicquam facit, quam homines facinorosi propter turpia facta fidenter & intrepidè patiuntur, Ejusmodi enim malefici, incendiarii, latrones non honestatis, sed turpitudinis & infamiæ causâ patiuntur dolores & cruciatus. Quapropter fortes dicendi non sunt. Intenditur autem præprimis mors gloriosa bellica, propter quam oppetendam tot ac tanti generosi viri desudarunt, ac sibi optârunt. Et quamvis Vir fortis in illâ quoque morte, quæ ex incendio, naufragio, vel morbo imminet, nihil contra decorum committat; sed semper & ubique animo est intrepidus: attamen ægrè fert hujusmodi mortis genus, quod nec patriæ vel reipublicæ salutem exinde, nec nominis sui gloriam ampliare potest. Sic *Achilles* apud *Homerum*, & *Æneas* apud *Virgilium*, cum *hic* metueret naufragium, *ille* ne in *scamandro* fluvio periret, conqueruntur, quòd non in proelio, plurimis hostibus prius interfectis, cadere sibi licuerit, quàm ita miseram & minus

nus



minus gloriosam mortē oppetere. Ita enim *Virgilius de Aenea l. 1.*  
*Aeneid.*

O Terq<sub>3</sub> quaterq<sub>3</sub> beati

Quēis ante ora Patrum Troja sub mœnibus altis

Contigit oppetere: O Danaum fortissime gentis

Tydide, mene Iliacis occumbere campis

Non potuisse? tuaq<sub>3</sub> animam hanc effundere dextra.

De *Cimbris & Celtiberis* scribit *Val. max. l. 2. c. 6.* quod in acie exultaverint, tanquam gloriosè & feliciter vitâ excessuri, lamentaverint autem in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Eâdem de causâ *Epaminondas*, dux *Thebanorum*, post prælium ad *Mantineam* tranquillô animô Spiritum tunc demû efflavit, cum suâ morte patriæ victoriam esse partam intelligeret, ut testatur *Justinus l. 6. c. 8.*

II. Et sanè Fortitudo instar repaguli est ac valli cujusdam firmissimi, quippe animos hominum adversus pericula laboresque firmat ac munit. Quis enim hostiles acies, latissimis in campis dispositas, quis strictos gladios, quis fulgentes hastas, armorum fragores, clamores militum, quis tormentorum bellicorum tonitrua, quis ab utroque latere cadentia & jacentia cadavera utique non formidet? Et tanta pericula hæc nostra virtus imperterrito animo aggredi docet. Id circo bellica *adequatum & speciale erit objectum.* Quamvis enim ratione qualitaris & universalitatis sint omnia terribilia & formidabilia, uti supra diximus, attamen ratione nobilitatis & principalitatis objectum hoc à Philosopho *l. 3. Eth. c. 6.* constituitur. Quippe mors bellica est malorum omnium, circa quæ versatur Fortitudo, terribilissimum ac honestissimum. Hinc factum, ut eos, qui in bellô occubuerunt, in honoris lectulo jacere confirmarint. *Homerus l. 5. Iliad.* dicit, reliquorum mortuorum cadavera aspectu esse fœda & turpia, eorum autem qui fortiter pugnando in acie occubuerunt, corpora per omnia esse pulchra. Atque hinc *Plato* eos maximis laudibus evehere jubet, qui in bello fortiter pugnandô *cecidissent*, certo futurum ratus, ut hujusmodi laudibus reliqui etiam cives ad Fortitudinem excitarentur. *Honestissima* quoque mors est, quia pro defensione patriæ, religionis, libertatis, legum, pa-  
ren-



rentum, conjugum, liberorum, amicorumque appetitur. Omnium verò est splendidissima, quia monumenta & tropæa in memoriam ejus non intermorituram præciosa eriguntur. Antequàm ab hóc speciali objecto abeam, hoc notandum erit, quòd mortem híc considerem *in se & absolutè*; quomodo omnino terribilis est, quia est extremum & ultima linea rerum, ad civilem vitam pertinentium. Hinc *Arist. l. 3. c. 6. Eth.* scribit. *mortuo nihil reliquum videtur esse, neque bonum neque malum*: non verò *respectivè* in respectu ad futuram vitam; quomodo mors introitus est ad æternam gloriam, & neque unquam timenda vel horribilis, uti rectè annotavit *Burgersd. in Ideâ Philos. Moral. c. 14. n. 12 p. 148.* De objecto autem speciali plura videri possunt apud *B. Dn. D. Martini in synopsis. Eth. l. 2. c. 6. Heid. part. 2. Philos. moral. p. 429.*

12. Ex dictis facilè patet, in quònam officium viri fortis consistat, scilicet ut in periculis sit imperterritus, & quidem ut homo, non ut lapis, aut truncus, aut fera. Deinde non quavis adeat pericula, sed ea duntaxat, quibus laudem sibi conciliare publicamque utilitatem promovere possit. Cæterum pericula subeat consilio & ratione, firmò animi propter virtutem ipsam proposito. Tandem omnia faciat honestatis gratia, quam virtutes morales attendunt.

13. Cum primis verò illi *duo actus* probè observandi veniunt, in quibus *formam* fortitudinis consistere statuunt; *quales sunt aggredi pericula & sustinere.* Fortitudo enim difficultatem sustinendo reprimat timorem, audaciam verò moderatur aggrediendo. Ad hunc iterum *duo* requiruntur: confidentia nempe ad præparationem animi, quâ quis paratò animò est ad res arduas aggrediendas. In magnis enim periculis ingentem fiduciam cū indubitata spe in seipso collocat animus. Sic Præparatur ac promptus redditur ad ardui aliquid audendum: & magnanimitas ad actionis administrationem, ut animus in re, quam semel est aggressus, non succumbat, vel abjiciatur, sed opus strenuè administret, splendidò quodam animi proposito. Pari modo *duo* actus ad sustinendum necessarii sunt: *unus*, ut considerato animo malorum præsentium diffi-

B

cul-



cultas vincatur per patientiam. Hinc resistere valet praesentibus difficultatibus, moderarique dolorem opprimat naturam. *Alter* erit, ut constanter in incepto pergatur per perseverantiam ne animus in rebus arduis ac difficilioribus tolerandis malorum occurrentium difficultate frangatur & supereretur, sed quod coeptum est haud gnaviter strenue pertendat. In omnibus vero his actibus prudentiam, tanquam fundamento, maxime opus est; quippe quae dicitur, quanam & qualia pericula adeunda, honestissima puta, ac bono publico utilia, quomodo adeunda ut scilicet circumstantiae loci ac temporis observentur, & tandem ob quem finem, nempe honestatis ergo.

14. Finis ergo hic a Philosopho non dicitur voluptas aut jucunditas aliqua, sed honestas, cujus gratia res arduae atque praeclarae suscipiuntur. *Ita enim l. 3. Eth. Nicomach. c. 7. differit: Timebit quidem etiam Vir fortis ejusmodi mala, sed ut oportet tamen, & ut ratio praescribit, honestatis causa. Conf. c. 8. & 9. quod ipsum quoque innuit Oratorum Princeps Cicero in suo de fine tract. l. 3. cum ita ait. Quicquid praeter id, quod honestum sit, expectandum esse duxeris, in bonisq; numeraveris, & honestum ipsum quasi virtutis lumen exstinxeris, & virtutem penitus everteris. Unde excluduntur illi, qui honestate neglecta propriae Saluti & utilitati consulunt, quos ipse Cicero pro fortibus minime reputat l. 1. offic. Non solum Scientia, inquit, quae remota est a justitia, calliditas potius quam Sapientia appellanda est: Verum etiam animus paratur ad pericula, si sua cupiditate, non autem utilitati communi impellitur, audaciae potius nomen habet, quam fortitudinis.*

15. Hinc in aperto positum est, virum fortem non ex-timefcere mortem ob salutem Reipublicae & commune bonum. Haec enim intentio promovendi bonum publicum, ut constare possit militi, causa belli fusque deq; habenda non est. Si enim in bello illegitimo periculum mortis constanti animo adeat non fortis est dicendus. Nam si causa & expeditio est inhonesta, actiones circa eandem utique inhonestaerunt. Huc facit insignis *Codri* virtus, ut ab ipso exemplum periculi  
ob



ob patriæ salutem suscepti capere mihi liceat. Hic Rex cum oraculi jussu compertum esset, Atheniensium salutem Ducis morte promovendam esse, insigni virtutis ardore flagrans, regium permutavit habitum, pannosus, sarmenta collò gerens, castra hostium ingressus, ubi in turba obsistentium à milite, quem falce astu vulneraverat, interfectus est. Et sic Athenæ bello liberatæ fuerunt, teste Justin. l. 1.

16. Nascitur autem hõc locò quaestio quædam subdificilis, num'etiam Fortitudo in sexum cadat muliebrem? multi *negativam* tuentur ex his rationibus: *Primã* eorum deducitur à ratione nominis. Nam Fortitudò Græcis dicitur *Ανδρεία* à πὸ Ἰσ ἀνδρὸς quòd viri sit propria virtus & non fœminæ. *Secunda* sumitur à natura fœminarum: quia ob temporamentum, quod in illis debilius est, quàm in viris, & ob ingenitam imbecillitatem sunt pusillanimes, molles, & admodum impatientes eorum, quæ periculum aut metum afferunt. Sed has rationes satis validas esse haud censemus. Quod enim attinet *denominationem, respondemus*, illam factam esse à potiori, quòd in virilem sexum frequentius cadat, & quòd præcipuè viros deceat illa virtus. Indè autè non sequitur, quod fœmineo sexui prorsus sit deneganda. *Alteram verò rationem* quod concernit dicimus, procedere eam à particulari, & committi fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam contrariũ exemplis evinci potest. Quare affirmativam sententiam, ceu veritati consentaneam amplectimur, ob rationes sequentes: Quia omnis homo sanæ mentis per naturam capax est cujuslibet virtutis. *Ideo Seneca Epist. 31. ad Luciliũ* ait: *Nulli virtutis via clausa est, omnes admittit. Et Arist. l. 2. Eth. c. 5. & l. 6. c. 7* scribit: *quasdam virtutes inesse à naturâ.* Hanc ob rationè Sequitur, à Fortitudine fœminas simpliciter & absolute nō posse excludi; sunt enim capaces prudētix omnis virtutis informatricis. Ergo & Fortitudinis. Et sicut mares quidã animũ habent effœminatũ, & mollè, ut Sardanapalº fœminarum mancipiũ; ita mulieres quædam animum habent virilem & fortem. Quò referendum est istud *Ennii apud Cic. l. 1. off.*

*Vos etiam juvenes animum geritis muliebrem:*

*Illag, virgo viri.*

Hoc



Hoc quidem verum est, non adeò frequenter robur istud animi in fœminis dari, prorsus tamen denegari iis nequit. Ut taceam sacra exempla *Deboræ* *Jud. 4. 8* & *Jabelis* *Jud. 4. 21.* & *Judithæ* *Judith. 13. 8.* Profana saltem afferam. *Amazones* mulieres Scythicas quis non obstupescet? quarum originem & virtutẽ Justinus multis describit verbis. Sanè admirandum est in illis fœminis, quòd à primâ lactis nutritione laboribus ac bello adhibeant filios, & mares, quos in lucem edunt, statim interficiant, virgines verò non otio nec lanificio, sed armis, equis, & venationibus exercent, iniustis infantum dexterioribus mammis, ne sagittarum jactus impediatur. Hæ mulieres tantâ animositate præditæ fuerunt, ut hostes quàm plurimos debellaverint. Vid. Herod. l. 4. Curt. l. 6. Sic *Tomiris*, *Massagetarum Regina*, amisso unicò filio, orbitatis dolorem non in lacrymas effundens sed in ultionis solatia intendens, *Cyrum* cù ducentis Persarum militibus, ne uno quidem superstitite delevit, caputq; interfecti amputatum in utrem, sanguine humano repletum, injecit additâ exprobatone: *Satia te sanguine, quem sitiisti, ejus insatiabilis semper fuisti: Just. l. 1. c. 8. Herod. l. 6. circa finem. De Elisabetha, Angliæ regina, Historiæ testantur, quantâ peritia tractandi subjectos sibi populos fuerit prædita, ut fortitudine suâ alias antèiret. Ipsa Hispaniarum Monarchæ facta formidabilis, cujus insuperabilem vim consilio ac drudentia fregit atque prostravit. Eadem prudentiæ documenta edidit *Margarita* illa *Danica*, quæ defuncto Coniuge *Aquino*, Utrumq; *Daniæ* ac *Norvvegiæ* regnũ felicissimè administravit, & lacesita ab *Alberto*, *Sueciæ* rege, ad bellũ capto eo una cum filio, detentoq; per septenniũ in custodia, viros suecos etiam Fœminæ *Danicæ* submittere posse colla docuit. Similia de *Caroli V. Imperatoris* filia *Kenneva* muliere *Batavâ* & aliis legimus, quarum exemplum & res gestas cartarum angustix non capiunt. Cui placet, adeat *Famianum Stradam* de bello Belgico l. 1. p. 74. l. 7. p. 424. *Orteliũ Chronis. Hung. p. 1. sub. An. 1552. p. 105.* Conf. quoq; ea, quæ de *Bruti* uxore nomine *Porcia* & *Astrubalis* refert *Val. Maxim. l. 3. c. 2.* Tandem pro determinatione quæstionis notandum est, si communis rerum ac naturæ*

sta



status atque conditio attendatur, Fortitudinem bellicam virorum esse; Ipsorum enim officium omnino requirit, ut res pacis ac belli administrent, ac pro religionis, patriæq; potestate fortiter pugnent: Interim tamen negari non potest, sexum etiam fœmineum prudentiâ quoq; pollere, idcirco fortitudinis utiq; esse capaces nemo diffitebitur.

17. Et tantum quidem de verâ & propriè dicta Fortitudine ex sententia *Aristotelis* aliorumq; Philosophorû sit dictum. Consequens nunc est, ut ad apparentem Fortitudinem accedamus, cuius *quinq; à Philosoph. l. 3. Nicom. c. 8. l. 1. m. m. c. 21.* constituuntur *species*, quarum agmen ducit *Politica, seu civilis*, quâ leges à singulis civibus in defendendâ ac propugnanda patria requirunt, dum præmia & pœnas proponunt iis, qui sese in defensione civitatis strenuos vel ignavos præstiterunt. Hanc in militum animis excitare voluerunt Germani, quando eos, qui scutum in prælio amisissent, vel superstite duce ex acie recessissent, infames per totam vitam habuerunt, & neq; ad sacra neque ad consilia publica admiserunt.

18. Possunt autem hujus Fortitudinis commodè duo constitui *gradus*: Unus *voluntarius*, quando cives tum amore rei pulchræ, qualis est honor, pericula adeunt; *alter est*, quando quis fortem se gerit coactus, idq; ex formidine pœnæ, quâ duces fugientibus decernere solent. Hic autem gradus priore multò inferior est, & qui tali modò fortes sunt, prioribus longè sunt deteriores, cum excitentur metu non amore honesti, nec tam quod turpe est, quam quod molestum fugiant.

19. *Secundum* inter adulterinas Fortitudinis species locum sibi vendicat ea, quâ ob rerum experienciâ crebro sive usus animosum se quis ac confidentem reddit. Sicuti enim omnibus aliis in rebus maxima consuetudinis & experienciæ vis est; ita in re militari haud parum quoque eadem ponderis momentique habet. Verum licet istiusmodi milites in periculis impavidi sint ac imperterriti, longius tamen à verâ fortitudine recedunt.

20. In *tertiâ* eorum classe qui falsò virtutis hujus nomine vestiuntur, collocamus eos, qui irâ perciti, vindictæq; cu-



pidine inflammati, strenuè se periculis objiciunt, & hostes animose adoriuntur, hi iterum vere fortibus annumerari haud quaquam debent.

21. *Quartò* Fortitudinis nomen & iis tribuunt, qui spe ac fiducia eversionis aut victoriæ certæ inflati altos gerunt Spiritus, & longè maximis etiam periculis strenuè se objectare haud ambigunt. Qui, etsi in hoc veræ fortitudinis speciem præ se ferant, quod æque ac viri fortes confidenti in periculis adeundis sint animo: maximo tamen adhuc à verâ virtute absunt intervallo.

22. *Ad ultimam* nunc adulterinæ fortitudinis descendimus speciem, quæ ex ignorantia periculi usque progreditur, ut is penes quem est, promte illud suscipiat, inque eò tantisper persistat, donec ejus magnitudo innotescat. Hi ergo qui ex ignorantia animum gerunt, nullam virtutis speciem aut dignitatem præ se ferunt, sed hâc notitiâ & animi præsentia prorsus destituuntur, imo simul ac cognitus est error, diffugiunt. Hæc fortitudo plerunque in tironibus invenitur, quibus imperitia animum addit, & in quos quadrat, quod vulgo dici solet, Dulce bellum in expertis. Hos enim cum interdum ad pugnam non aliter quam ad choreas duci videas, mox tamen non viros sed galeatos credas lepores, cum & primò saltem congressu animum remittant, turpem vitam honestâ morte præelicientes.

23. Cum itaque species apparentis Fortitudinis dixerimus ac removerimus, veræ quoque virtutis hujus species subjungere non abs re erit; cujus *alia est togata*, quæ occupatur circa res adversas, quæ magno animo tempore pacis sustinentur, ejusque usus tam ad domesticas & privatas, quam ad Politicas & Publicas res se extendit: *alia etiam est bellica seu militaris*, quâ vir fortis res arduas simul ac diversas fortiter subire, mortem honestam appetere & animosè sustinere promptus est, de qua cum primis hæctenus egimus.

24. Cum autem contraria juxta se posita magis elucescant, proximum nunc erit, ut ad vitia huic virtuti opposita descendamus, & quæ ac quotuplicia Fortitudinis sint. *extre-*

*ma,*



ma, consideratum eamus. Tutissimi itaque nostri Coriphæi vestigia legentes, duo hujus virtutis extrema invenimus, quorum alterum excedit medium, alterum idem deserit. Hinc Audacia dicitur Vitium morale, quod in excessu peccat circa terribilia; Timiditas vitium morale, quod in defectu peccat circa terribilia. Priori vitiô laborantes ii, qui in quævis pericula temere ac sine ratione se præcipitant, idque merô tantum animi fastu oppleti, ac præcipiti pugnandi cupiditate vanæ mentis stimulo perciti. Quamvis autem audacia fortitudinis quædam, ut ita loqui liceat, simia sit, & in hac convenientiam quandam cum eadem habere videatur, quod ii, qui audaciæ vitium imbiberunt, æquè ac viri fortes imperterritô animô pericula suscipiant: magna tamen differentia subest. Audax enim in hoc fortitudinis indolem non acquirit, quia temere absque ratione in pericula se conjicit; fortis verò omnibus exploratis circumstantiis ac deliberatô consilio eadem aggreditur.

25. In defectu contra nobilissimam hanc virtutem peccant illi, qui ad levisimum quemque belli rumorem, cum vel exiguum aliquod periculum adeundum est, animum abjiciunt, & undique latibula, in quibus latere possint, quærunt. Non verò omnis Fortitudini timor opponitur, sed indecens saltem. Ut de Dionysio Majore Syracusarum tyranno legimus, quod projectæ adeò fuerit timiditatis, ut inclusus conclavi manserit, nec in ejus cubiculum quisquam intromissus nisi veste depositâ & fermè nudus accessisset.

26. Hæc de extremis Fortitudinis dixisse sufficiant. Jam videbimus, quidnam de illis censendum, qui manus violentas sibi inferunt? Αὐτοχρησία apud Ethnicos familiaris admodum fuit, & à multis ad fortitudinem refertur. Themistocles Atheniensis de patriâ optimè meritis, cum odiis hominum patriâ depelleretur, & à Rege Persarum dux militiæ adversus Græciam constitueretur, sumtô venenô semetipsum interimere potius, quam patriæ bellum inferre voluit, si Plutarcho in Themistocle fides habenda. Cato se interfecit ne in manus Julii Cæsaris incideret, è cujus vulneribus plus gloriæ quam

quam



quam sanguinis effluxisse *Val. Max. author. est. l. 2. c. 3.* Hinc *Seneca* ipsum virum fortem ac constantem vocat. Plura exempla adducit *Vossius Institut. Orat. l. 1. c. 5. p. 97.* *Hornei. Philos. moral. l. 3. c. 5. n. 12. p. 375.* Non autem viri solummodo, sed etiam feminae hoc mortis genere usæ sunt. Nota est historia *Lucretia*, quæ violentia *Tarquini junioris* stuprata, cultro in pectus defixô seipsam interfecit. Hinc Philosophi stoici *αὐτοχρησία* singulari laude dignam esse judicârunt. Nos cum *Aristotele* ac sanioribus Philosophis negamus fortes eos dicendos esse, sed timidorum in numerum referendos, Ita enim *l. 3. Eth. c. 7.* inquit: *Mori autem, ut vel paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus, fortis viri minimè est, sed potius timidi, qui prope cum laboriosa fugere mollities sit, neque hanc sustinet quisquam mortem, quia honestum sit, sed ut malum fugiat ac evitet.* Fortes ergo non sunt, cum in confidendo deficiunt, nec adversa æquo animo ferunt sed desperabundi ex impatientia succumbunt *Non enim fortium virorum, ut Curtius ait. odisse vitam, sed contemnere mortem.* Quin potius ejusmodi homines pro homicidis injustissimis, & impiis habendi sint, quam fortibus. *Vid. Heid. Phil. mor. part. 2. p. 440.* Unde de *Jure Canonico* honesta ipsis sepultura denegatur. *can. placuit. caus. 23. q. 5.* itemque de *Jure Saxonico* v. *Land Recht art. 31. l. 2. Conf. Joh. Scheidevv in § Religios. n. 9. Instit. de rerum divis. Matth. Wesenbecc. in not. ad Scheidevv. in § Juris præcepta n. 5. Inst. de Justit. & Jure.*

27. Sub finem nostræ dissertationis breviter disputandum est; num viro forti liceat fugere? Videtur enim hoc pugnare cum actibus fortitudinis, quas diximus consistere in aggrediendo & sustinendo pericula. Verùm in aliorum sententia acquiesco, qui potius fugiendum, quàm moriendum esse statuunt, si scilicet necessitas id postulet, quæ legem non habet, & respublica plus commodi ex ejus vitâ quam morte sit habitura. Prudentiæ enim est, ea declinare quæ patriæ nocitura videntur: Ideoque fuga illa bona est, quæ in cavendis reipublicæ detrimentis reddit hominem circumspectum & ad meliora Tempora reservat, ut reipublicæ majora commoda atque emolumenta comparare valeat. Unde distinguunt  
inter-



interfugam consilii, & formidinis. Hæc nequaquam viro forti convenit, sed timidi est: Illa verò tempore necessitatis ipsi conceditur, quippe cum recta ratio dicitur, imò vidit, quod hostium numero ac multitudine superatus nullam victoriæ spem habeat. Fugam ergo arripit non ut timidus, sed ut vir prudens. Nam hoc modò hosti qui resisteret, potius in audaciam ac temeritatem incurreret, quam ut quicumque viro forti conveniens præstaret. Rectius ergo melioribus vincendi occasionibus se reservat, unde majora commoda Reipublicæ evenire possunt. Juxta illud Græcorum:

Ἄνθρωπος δὲ Φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται  
hoc est,

Qui fugit, ad pugnas ille redire potest.

Sic *Varroni* Senatus egit gratias, quòd ad *Cannas* re malè gestam fugere, & ad meliora Reipublicæ tempora se reservare maluisset, quam cum collegam perire, teste *Livio l. 3. dec. 3. Hunniades* in *Hungaria* è pugna *Varnensi* & è campis *Cassovicis* se proripiens, non multò post *Amurathem* victorem repressit. Vid. *Cassianum*.

28. Et tantum quidem de Fortitudine, virtute nobilissima, & maximè conspicuâ: quæ non pro æquitate saltem strenuè pugnat, sed & maximè inter virtutes refulget, indeq; veteribus ita decantata fuit, ut eam penè solam aut summam Virtutem putaverint. Est enim hæc columna civitatis, ac lorica hominis, in quâ belli fuga, in quâ pacis palma cernitur, & in quâ heroicè maximè gradus emicat. Claudio nunc *Divi Ambrosii* verbis: *l. 1. Off.* coronidem huic dissertationi imponens: *Non mediocris animi est Fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium & justitiam custodit, quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decertat: invicta ad labores, & fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates. Quæ verò Philosophicæ huic dissertationi superaddi possint, ut ad altiorem finem omnia dirigantur: de iis, ut nunc quidem agamus, nec temporis nec instituti nostri ratio*

permitit.

SOLI DEO GLORIA.

Q

Intre-





**I**ntrepidis animis & forti pe-  
ctore, si quis  
Vult mala ferre diu fortiter,  
esse decet.

Hinc rectè inquiris, **SCHÆF-  
FERE**, quid ista requirat  
Virtus, quis meritò fortior esse queat,  
**Perge** diu fortis rectam contingere metam,  
**Invenies** capiti præmia digna tuo.

**JOHANNES MEISNERUS D.**  
& Profess. Publ.

---

**Æ**mulus, & fratris vestigia clara sequutus  
Non disparem, **DANIELE**, quæris glo-  
riam

*Suggestum scandens, tantis quod nobile seclis  
Doctissimi cujusq; vocibus sonat.  
Ille, quid Heroas faciat monstravit; at ipse  
Timore nullo fracta monstras pectora,  
Et quid sit, fortem esse, doces. Pulcherrima cœpta,  
Et qualia animos maximè egregios decent!  
Stat Pater, hæc letusq; probat; **REICHBRO-  
TIUS** unà,*

*(Debere cui me multa confiteor lubens)*

**BUT.**



**BUTNERUS, BREMIUSQUE**, mibi qui  
pluribus annis

*Charos amicos inter & notos fuit:*

[*Ut reliquos modò præteream dulcissima dudum  
Et culta semper nomina oppidò tibi*]

*Applaudunt ausis fratrum, majora petentes*

*Ex limine istoc & velut primo gradu.*

*Non etenim cessare solet generosior ardor:*

*Sibi instat usque, & celsius culmen petit.*

*Hoc facite, Eximii fratres, & gaudia plena*

*Præstate Patri & optimis affinibus.*

Augustus Buchnerus.

---

*Eximio ac Politissimo Dn. Respondenti, A-  
mico ac Fautori colendo.*

**E**Xternâ multi specie falluntur inani  
**Q**uæ veri referunt vix formam, vera pu-  
tantur.

Sunt qui mirificè sua jactant corpora firma,  
Quò sibi conquirant illustria nomina fortis;  
Nonnulli fortes sint tantum voce tumente,  
Narrantes verbis cristatis facta futura:

Im-



Immò, quod multi contorquent lumina tor-  
va


Vultu monstrantes fortissima viscera cordis,  
At quænam virtus ex illis vera yovenda?  
Menti divinæ nil hæc signacula præstant.  
*Tu Scheffere* probas *veram conamine forti*  
*Virtutem & fortis* quod verbis asseris ipsis,  
Id præstas *animo: meritò Tu fortis habendus.*

*M. Johann Michaël Strauß*  
*Facult. Phil. Adjunct.*

---

**Q**uis novus hisce tuis succedit sedibus hospes,  
Pressurus Cathedram dulcis Apollo tuam?  
SCHÆFFERUS, nî fallor, adest, studiique venustum  
Florem munus habet vere micante novo.  
Accipe tam dulcis Nati per amœna nitore  
Lilia, Musarum, sunt quoque e mentis opes.  
Non humili natus glebâ est. Pulcherrima Virtus  
*Diis juvenem genuit, Quid nisi fortis erit?*

GEORGIUS Gerdesen.  
Pom. Gryphis Walden-  
sis. S. S. Theol. Stud.



*coll. dess. A. 118, misc. 17*